

SUMMARIUM.

1. *Clandestina Matrimonia per Trident. Conc. duobus remediis corrigenda.*
2. *Denunciationum Matrimonialium necessitas.*
3. *Illas omittentes peccant mortaliter.*
4. *Parochi assistentes Matrimonio sine denunciationibus puniuntur.*
5. *Denunciations omitti possunt impune in quinque casibus.*
6. *Denunciations quo in loco faciende?*
7. *Vagabundi ad Matrimonium non admittendi sine licentia suorum Ordinariorum.*
8. *Denunciations in Ecclesia Parochiali faciende.*
9. *In diebus festiuis, non autem feriatis.*
10. *An in festo devotionis, & ad Predicationem Versitimum?*
11. *Utrum in tribus festiuis diebus non interpolatis?*
12. *Denunciations iam facta quando repetende?*
13. *An a Parocho personaliter publicande?*
14. *Denunciations obligant scientes Impedimentum, illud revelare sub pena peccati mortalis.*
15. *Personae obligate revelare Impedimenta Matrimonii qua sint?*
16. *Impedimentum Matrimonii in quinque casibus non revelandum.*
17. *Denunciations a quibus dispensande, ac remittende?*
18. *Appellatio datur a denegata Denunciationum dispensatione.*
19. *Causae quindecim, ob quas remitti possunt Denunciations.*
20. *Informatio sumenda ab Ordinario ante remissionem Denunciationum.*
21. *Denunciations ab Ordinario remittuntur etiam extra suam Diocesim.*
22. *Denunciations non fuisse factas exprimendum est Papae pro valida dispensatione super Impedimento obtinenda.*
23. *Conditiones, quas Papa ponit in dispensatione, si fuerint omisse Denunciations.*

Quia ex clandestinis Matrimoniis magna resultabat pernicijs Animarum, eo quia plurimi homines, priore Uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahebant, & cum ea in perpetuo vivebant adulterio; ut tanto facinorosi Synodus Tridentina remedium adhiberet, duo statuit in sess. 24. in Decret. de Ref. Matrim. cap. 1. Unum, ut tribus festiuis diebus, ante celebrationem Matrimonii, fiant per Parochum de eo denunciations publicae in Missa, ad effectum, ut si quis sciret impedimentum aliquod inter eosdem contrahentes extare, illud revelet. Alterum quod nemo possit contrahere Matrimonium, nisi praesente Parocho, (vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia,) & duobus, vel tribus testibus sub pena nullitatis; quapropter de iisdem duobus remedijs est a nobis agendum; de primo scilicet de Denunciationibus, in Decisione praesentis; de secundo autem, nempe de Praesentia Parochi, ac Testium in sequenti Decisione. Igitur circa Matrimoniales Denunciations a Tridentino Concilio praescriptas sex sunt videnda.

1. *Quanta sit harum Denunciationum necessitas?*
2. *Quo loco, & tempore sint faciende?*
3. *Quis sit harum Denunciationum effectus?*
4. *Quis possit dispensare, ne haec Denunciations fiant?*
5. *Quae sint causae dispensandi, ne fiant?*
6. *Quibus conditionibus Papa dispenset super impedimento Matrimonii ignorato ob non factas Denunciations?*

Quo ad Primum. Necessitas Denunciationum Ma-

rimonialium reprehenditur ex praepcepto Ecclesiae de iisdem facto non solum in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. de quo in cap. Cum inhibito. De Clandestina Desponsat. sed etiam in eodem Concilio Tridentino d. sess. 24. de Ref. Matrim. cap. 1. cuius haec sunt verba: *Idcirco Sacri Lateranensis Concilii, sub Innoc. III. celebrati, vestigijs inherendo praecipit, ut in posterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, publice denuncietur, inter quos Matrimonium fit contrahendum: quibus Denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiae procedatur.* Et paulo infra: *Nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit, ut praedictae Denunciations remittantur; quod illius prudentia, & iudicio Sancta Synodus relinquat.* Quare attento hoc Ecclesiae praepcepto, Denunciations ipsae adeo sunt necessariae, ut, quamvis illis omissis Matrimonium fit validum, tamen eadem omittentes peccant mortaliter, tam contrahentes, quam Parochi eorum Matrimonio assistentes, ut late probat Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 5. num. 6. Barbosa in Collect. DD. ad d. cap. 1. sess. 24. num. 29. inter quos Reginaldus lib. 31. num. 223. quod confirmat, quia talis omissio est transgressio Ecclesiasticae praepcepti in re gravissima; ac etiam quia idem Concilium Tridentinum ead. sess. 24. cap. 5. dum ait, negandam esse dispensationem super impedimento Matrimonii ignorato ob omissas denunciations, inquit: *Non enim dignus est, qui Ecclesiae benignitatem facile experiatur, cuius salubria praepcepta temere contempserit; quae verba denotant reitatem culpa mortalis in omittentibus praedictas denunciations.* Eminentiss. Cardin. de Lauraea de Imped. Matrim. disp. 22. numer. 335. ubi allegat textum expressum in cap. Si quis dogmata. 25. quest. 2. Basilii Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 30. num. 3. subdens, quod ulterius iidem omnes possunt ab Ordinario graviter puniri. Sanchez d. lib. 3. disp. 46. numer. 8. Aversa quest. 7. sect. 3. Vers. Deinde. Ventriglia in Praxi Annot. 3. num. 19. Sperellus Decif. 112. num. 49. & alii, quos cumulat Vinc. de Justis de Dispens. Matrim. lib. 2. cap. 19. a num. 24. & seqq. ubi ulterius advertit, quod Parochus assistens Matrimonio non factis denunciationibus incurrit penam suspensionis a Divinis per triennium, iuxta textum in cap. fin. de Clandestina desponsat. quae tamen pena non est lata, sed ferenda sententiae. Sanchez d. lib. 3. disp. 48. numer. 24. at ubi a Iudice fuerit declaratus suspensus, absolutio est Papae reservata. Sanchez d. lib. 3. disp. 52. Aversa d. quest. 7. sect. 3. Vers. Paene vero. Eminent. Cardin. de Lauraea d. disp. 22. num. 466. Et ipse Vinc. de Justis ibid. num. 26.

Adducit tamen quinque casus ex antiquis Theologis collectos Reginaldus d. lib. 31. numer. 224. in quibus, aut neque contrahentes, neque Parochum, testelive incurrere culpam, aut penam ob omissas denunciations, videlicet. 1. Si loco denunciationum Sponsalia sint publicae, ac solemniter celebrata. 2. Si contrahentes sint juris ignari. 3. Quando tempus non suppetit, ut in articulo mortis concubinarij, ut celebrat Matrimonium cum concubina ad eius famam resarcendam, ac legitimandam prolem. 4. Quando grave periculum, aut damnum imminet Parocho, si recuset assistere; puta, si reperto defensore puella in fragranti, parentis vocent Parochum sub alio praetextu, & cum minis obligent eum Matrimonio praedicti defensoris, ac puellae statim assistere, ut nonnullis ab hinc annis occurrit q. Rev. Franciscus Bezio Parocho S. Martini de Atheste hujus Diocesis Patavinae. 5. Si contrahentes sint Magni Principes, quorum Parentela non nemini est incognita. Ita Reginaldus

ex Sylvestro, & Soto ubi supra per cum allegatis; quorum tamen auctoritas tanta non est, ut in primo, ac secundo casu possit Parochus tuta conscientia, ac omissis Denunciationibus, Matrimonio assistere; cum in eis, ac in tribus sequentibus, nisi urgentissima ex causa, debeat recurrere ad Ordinarium, ac ab eo licentiam, praevia Denunciationum dispensatione, obtinere. Barbosa de Offic. Ep. pot. Episc. allegat. 32. num. 53. Squillantes de Obl. Cleric. part. 2. num. 124. Aversa d. q. 7. sect. 2. Vers. Si tamen. & ipse Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. numer. 144. & 145.

Quo ad secundum, in quo quaeritur, Quo loco, & tempore sint faciende ipsae Denunciations? Respondetur, circa locum, quod si Sponsus, & Sponsa sint unius, & eisdem Parochiae, in ipsa Parochia tantum fieri faciende: at si Sponsus sit de una Parochia, Sponsa vero de altera, in ambabus Parochiis eadem Denunciations sunt publicandae. Sanchez d. lib. 3. disp. 6. num. 4. Aversa d. quest. 7. sect. 1. Vers. Debentque Denunciations. Riccius in Praxi Fori Eccl. resol. 437. num. 1. Eminent. Card. de Lauraea d. disp. 22. num. 344. atque Basilii Pontius d. lib. 5. cap. 30. num. 4. ubi ponit hanc declarationem Sacrae Congregationis: *Quando Matrimonium contrahitur inter duos de diversis Parochiis, debent in ambabus fieri Denunciations; & talis est praexis omnium Ecclesiarum, ac tenor Synodalium Constitutionum uniuersumque Diocesis; praecipue hujus Patavinae, in quibus part. 2. cap. 18. sic statuitur: Si Sponsus, & Sponsa in diversis sint Parochiis, ut in ambabus integre promulgationes observentur, Parochus mulieris Sponsi Parochum admoveat, ut ipse Denunciations edicat. Quod si ipsi contrahentes de recenti coeperint habitare in una Parochia, alii derelictis, in quibus diutius habitaverunt, etsi in utrique esse Denunciations faciendas asserat DD. quos allegat Sanchez d. lib. 7. disp. 6. num. 6. & 7. contrarium tamen est verius; quia sufficit, eas fieri in sola Parochia, in qua de praesenti degunt, ut probat Basilii Pontius d. lib. 5. cap. 30. numer. 5. ea ratione, quia Concilium Tridentinum ait, eas esse faciendas a proprio contrahentium Parocho; sed talis non est ille, a cuius Parochia jam recesserunt; & hanc opinionem approbat etiam Eminentiss. Card. de Lauraea d. disp. 22. num. 248. ita dicens: *Essi contrahentes mutaverint Parochiam, non est necessarium, ut Denunciations fiant alibi, quam in Parochia, in qua sunt de tempore contractus.* Inficiandum tamen non est, quod si quis ex Sponsis esset vagabundus, vel non bene cognitus in Parochia, in quam venit de recenti, essent Denunciations faciendae in derelictis ab eo Parochiis, imo cogendus ad exhibendam ejus libertatis attestacionem, a suo Ordinario consecram, praevio testium examine; ut servatur in praxi.*

Sed est etiam locus loci fervendus in iisdem Denunciationibus proclamandis, qui quidem est Ecclesia ipsa Parochialis, vel alia intra confines Parochialis ejusdem, ut expressè praepceptum est tum in Concilio Lateranensi sub Innoc. III. de quo in cap. Cum inhibito. De Clandestina Desponsat. ubi sic: *Cum Matrimonia fuerint proponenda, in Ecclesijs per Praebytos publicè proponantur: tum etiam in Concilio Tridentino d. sess. 24. cap. 1. ibi: In Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur.* Et hoc notant communiter omnes DD. Basilii Pontius d. lib. 5. cap. 30. num. 6. & Eminent. Card. de Lauraea d. disp. 22. num. 351. & seqq. ubi n. 353. subjungit: *Nota tamen, quod si in alio loco, ubi fideles in festo essent congregati, haerent Denunciations, licet haerent, non enim ex alio matro Concilio determinat Ecclesiam, nisi quia in ea adunantur fideles, quibus notificatio est facienda, ut delegat impedimentum, si sciant. Sed hoc intantum habetur, si alibi adven-*

tur. Ergo. Concordant in hoc etiam Bonacina de Matrim. q. 4. punct. 6. n. 17. Squillant. de Obl. Cleric. part. 2. n. 116. & Vinc. de Justis alios cumularum d. lib. 2. cap. 19. num. 196.

Circa tempus earundem Denunciationum faciendarum debet esse festiuis, & inter Missarum solemnia, ut ex illis verbis ejusdem Concilii Tridentini constat. *Tribus continuis diebus festiuis, in Ecclesia inter Missarum solemnia, dum scilicet adest populi multitudo; propterea eas fieri non posse in diebus feriatis, neque ex concessione Episcopi, firmant omnes scribentes; de quibus Vinc. de Justis d. lib. 2. c. 19. num. 195. eam reddens rationem, quia Episcopus est inferior Concilio; non est autem licitum inferiori in lege Superioris se ingerere.* Et confirmatur ex declaratione Sacrae Congregationis ex Farinacio allata per Basilium Pontium d. lib. 5. cap. 30. num. 7. & repetita per Eminentiss. Cardin. de Lauraea d. disp. 22. numer. 363. ita dicente: *Episcopus ob vicinitatem temporis, quod prohibet sunt Nuptiae, omittere potest aliquas Denunciations secundum prudentiam suam, & iudicium: non tamen ut in diebus feriatis fiant.* Duo autem concedunt DD. quae videntur esse aliena a verbis Concilii. Unum est, quod ipsae Denunciations possunt fieri etiam in aliquo die festo, idest in Festo die, qui non sit de Praepcepto, si in eo ingens populi multitudo ad Ecclesiam accedat. Alterum est, quod etiam extra Missarum solemnia legitime fierent, eadem populi multitudo adstante, puta ante, vel post Predicationem versitimum; ea ratione, quia in utroque casu adimpletur mens Concilii, quae intendit, notificare futurum illud Matrimonium, ad hoc, ut qui noverint aliquod impedimentum illud denuncient. Ita Sanchez d. lib. 3. disp. 6. numer. 10. Eminentiss. Cardin. de Lauraea d. disp. 22. n. 358. & Vinc. de Justis alios allegans d. lib. 2. lib. 19. numer. 196. & 197. ubi addit, tres illos dies festivos, in quibus proclamandae sunt Denunciations, debere esse interpolatos; ad hoc ut commodius possit populus reflectere ad illas, investigare, an subsit aliquod impedimentum, & illud referre; quod enixè demonstrat etiam Eminentiss. Card. de Lauraea d. disp. 22. num. 364. Hoc tamen parum servatur in praxi, quia non raro praedictae Denunciations ter sunt in tribus diebus festiuis Paschae, & Pentecostae; ac etiam in festis Natalitjs Domini nostri Jesu Christi, nihil Episcopi reclamantibus; quamvis a pluribus in eorum Diocesisbus praedicta dierum festivorum interpolatio per Synodales Constitutiones sit ordinata, ad tradita per eundem Basilium Pontium d. lib. 5. cap. 30. num. 8. Ego autem super hac dierum festivorum intercalacione nescio habere scrupulum, tum quia Concilium Tridentinum de ea non meminit, imò in d. sess. 24. cap. 1. dicit: *Denunciations esse a proprio Parocho faciendas, tribus continuis diebus festiuis, & si interpolatos voluisset eos esse, id expressisset; tum etiam quia quod a Parochianis nescitur in tribus diebus, neque in alia temporis majori dilacione praesumendum est, eos non posse scire.*

Illud tamen observant omnes DD. quod si infra quatuor menses ad summum, post factas Denunciations, Matrimonium non contrahatur, opus est illas, vel unam, aut duas arbitrio Ordinarii repetere, sicque fuisse a S. Congregatione decisum refert Barbosa de Offic. Episc. potest. Episc. allegat. n. 32. num. 55. In Rituali Romano praecipitur spatium duorum mensium; & idem praecipitur in Constitutionibus Synodalibus Patavinis d. part. 2. cap. 18. his verbis: *Si quis vero factis Denunciationibus intra duos menses conjugium non contraxerit, iis praetergressis, iterum de more futurum inter ipsos Matrimonium profertur.* Tandem ab omnibus DD. traditur, posse Parochum vel per seipsum, vel per Capellanos, & Clericos,

Clericos, a se substitutos, Denunciations prædictas facere; quod admittit etiam Emin. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 361. Regularibus autem nullum Jus competere faciendi nullas Denunciations in eorum Ecclesiis, quæ Parochiales non sunt, declarasse Sac. Congregationem Concilii, testatur Lezana in Sum. tom. 1. cap. 12. num. 41. & Barbosa de Parocho cap. 21. num. 16. Et in Summa Apostolicarum Decisionum Verb. Denunciations Matrimon. Col. 247. num. 2. §. 5. ubi quod nil prohibet, quin Denunciations ipse proclamantur etiam tempore Quadragesimæ, & Adventus.

Quo ad Tertium. Si querimus, Quisnam sit harum Denunciationum Matrimonialium effectus? Respondetur, eas obligare quancumque personam, quæ sciat, aliquid impedimentum tam impediens tantum, quam impediens, ac dirimens reperiri ex quacumque causa inter ipsos contrahentes, ad illud manifestandum, vel Ordinario, vel Parocho, sub pena peccati mortalis; eò quia agitur de animarum salute, de impedienda irreverentia, quæ aliàs irrogaretur Sacramento; & de obviandis scandalis, quæ oriri solent ex Matrimonii ob aliquod publicum, vel occultum impedimentum invalide contractis, ut latè de hac obligatione differunt Sanchez d. lib. 3. disp. 13. Aversa quæst. 7. §. 4. Verf. Tenetur Bonacina de Matrim. quæst. 2. punct. 6. num. 20. Barbosa de Episcopo alleg. 32. num. 25. & aliis citatis Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. à num. 210. & segg. quibus adhæret Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 22. art. 21. ex quorum omnium DD. dictis, sequentes conclusiones, circa personas manifestare impedimentum obligatas, deducuntur. 1. Obligati sunt ipsi contrahentes, si inter se aliquid impedimentum habeant, illud manifestare, etiam occultum, ac secretissimum, nisi dispensationem Apostolicam super eo obtinuerint. 2. Tenentur omnes alii, de aliquo impedimento scientiam habentes, illud revelare, quamvis sub secreto naturali sciant (excepto si sub Sigillo Confessionis Sacramento, ut infra dicemus.) 3. Etiam si, quando aliquis notificando impedimentum alteri, genuflexus dixisset, hoc tibi manifestum facio sub Sigillo Confessionis; quia cum verè tunc non confiteatur peccata sua Sacerdoti, non oritur in audiente nisi obligatio ad Sigillum naturale; quod non impedit, ne saltem secreto ipsum impedimentum manifestetur Parocho, vel Episcopo. 4. Qui scit impedimentum publicum, & intellexit super eo obtentam fuisse dispensationem secretam pro solo foro conscientie, adhuc tenetur impedimentum revelare, quia dispensatio pro foro poli nihil valet, quando impedimentum factum est publicum. 5. Obligatus pariter revelare censetur ille, qui audit impedimentum etiam ab una sola persona, quando hæc sit gravis, boni nominis, ac bonæ famæ. 6. Eandem obligationem revelandi tenet, qui notitiam habet ejusdem Impedimenti ex fama orta à personis gravibus, & dignis. 7. Multò magis, si ipse habeat certam scientiam parentelæ, ex qua infurget impedimentum, et si sit solus, qui possit de eo testificari, ac alii omnes illud scientes sint mortui. 8. Pariter impedimentum est à sciente revelandum ex quocumque capite procedat, & causa quantumvis peccaminosa; ac etiam si ipse fuisset particeps illius peccati. Nam licet nemo teneatur manifestare turpitudinem suam. cap. Quis aliquando. De Penit. dist. 1. hæc ratio cessat, quando urget motivum majoris boni, salus animæ propriæ, ac proximorum, religio circa Sacramentum, unius, vel alterius conjugis, ac prolis suscipiendæ damnus. 9. Similiter qui scit impedimentum, tenetur illud revelare etiam si criminofus, vel sanguine conjunctus, aut testis non omni exceptione major: in hac enim materia, cujuscumque sit qualitas, recipitur manifestatio, dummodò eam cum Juramento, & debitis

circumstantiis pro veritate deponat. 10. Ille etiam tenetur revelare, qui sciens impedimentum notum esse diversis, putat ab aliis posse manifestari: nam si hæc excusatio ponderaret, de facili nullus satisfaceret huic obligationi credens ab alio adimpleri. Harum omnium conclusionum fundamenta, rationes, ac vim demonstrant Sanchez d. lib. 3. disp. 13. Basilius Pontius d. lib. 5. cap. 34. Aversa d. lib. 3. §. 4. Bossius de Matrim. contractu cap. 7. à numero 164. & alii plurimi, quos citat, & sequitur Vincent. de Justis d. lib. 2. cap. 19. à nu. 210. & segg. ac novissimè optimis, fortissimisque argumentis Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. art. 21. per totum à num. 468. usque ad num. 511.

Nihilominus nonnulli sunt casus, in quibus cessat obligatio revelandi Impedimentum in habente notitiam illius, & hi sunt sequentes. 1. Si confessorius illud intellexit in Sacramentali Confessione, nec potest illud manifestare, nisi cum fractura Sigilli, & injuria penitentis. Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 227. ipsum enim Sigillum Sacramentale, quavis de causa, publica, aut privata, violari non potest. cap. Sacerdos. de Penit. dist. 6. cap. Omnis. De Penit. & Romis. Est enim de Jure naturali, ac Divino, ut probavimus in nostris Decisionibus De Sacram. Penit. Dec. 49. per totam. 2. Non tenetur quis revelare, si ex revelatione infurgat infamia contrahentium, quando sperat fraterna monitione, eos suadere, ut à contrahendo illo Matrimonio desistant. At si monitio fraterna nihil operetur, tenetur revelare. Eminent. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 496. & segg. ubi excipit ab hac regula præmittendi monitionem fraternam quando agitur de materiis Fidei, seu de delictis denunciandis ad Sanctum Inquisitionis Officium, juxta Decretum Alexandri Papæ VII. diei 24. Augusti 1660. 3. Non est quis obligatus impedimentum revelare, quando sequitur sit magnum scandalum, aut timeatur grave periculum, vel in se, vel in aliis. Sanchez d. lib. 3. disp. 13. n. 3. Basilius Pontius d. lib. 5. cap. 34. n. 2. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 22. num. 505. & 506. 4. Neque quando revelans infamaret seipsum; & ipsi contrahentes essent in bona fide, ac impedimentum esset omnino occultum; satis enim foret in hoc casu procurare lubi honestis prætextibus, ne Matrimonium contrahatur juxta Basilius Pontium d. lib. 5. cap. 34. num. 5. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 223. & 224. 5. Neque in impedimento occulto, si possit obtineri dispensatio Apostolica à Summo Penitentiaro pro foro poli. Idem Vinc. de Justis ibid. num. 234. qui diversa adducit exempla, per cum collecta ex DD. quos copiosè allegat, in casu contingentiæ ibi videndos.

Quo ad Quartum, in quo inquiritur: Quis possit dispensare, ne prædictæ Denunciations fiant? & concedere, ut absque illis Matrimonium licetè contrahatur? Respondetur, quòd, juxta causam intervenientem, super istis Denunciationibus, ne fiant, dispensare possunt sequentes, Parochorum, ac contrahentium Superiores, videlicet: 1. Episcopus, juxta permissionem ei factam à Tridentino Concilio in d. sess. 24. de Matrim. cap. 1. ibi: Nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ Denunciations remittantur; quòd illius prudentie, & judicio Sancta Synodus relinquit: etenim appellatio Ordinarii in primis, & ante omnia intelligitur Episcopus Diocesanus. Glossa in cap. Ut animarum. Verb. Ordinariorum. De Constit. in 6. Rota part. 4. divers. Decif. 798. nu. 3. Barbosa de Appellat. Verbis appell. 177. num. 1. ubi DD. 2. Eisdem Denunciations dispensare, ac remittere potest ejusdem Episcopi Vicarius Generalis. Sanchez d. lib. 3. disp. 7. n. 6. Riccius part. 3. collect. 702. Siquidem appellatio Ordinarii venit etiam Vicarius Generalis, ut latè probat Sbrozios de Offic. Vic. lib. 2. quæst. 55. & Vinc. de Justis

Justis d. lib. 2. cap. 19. à num. 202. & segg. 3. Abbatibus populum cum Territorio separato subiectum habentes, & in eum Jurisdictionem quasi Episcopalem exercentes, quales sunt Abbates Nonantule, ac Vangadicia. Sanchez d. lib. 3. disp. 3. numer. 4. Zerola part. 1. Verb. Denunciations. Barbosa de Jure Eccles. Univ. lib. 1. cap. 17. num. 97. & Vinc. de Justis d. lib. 2. n. 208. & 209. ubi alios allegat. 4. Eandem facultatem dispensandi pro istis Denunciationibus habent Legati, seu Nunci Apostolici in Provincia sibi assignata, Idem Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 75. 5. Cardinales in Ecclesiis eorum Titulorum, & ibidem eorum Vicarii. 6. Capitulum Sede Vacante; sic testatur ipso Vinc. de Justis d. num. 75. 7. Patriarcha, Archiepiscopus, seu Metropolitanus inter personas suis iurisdictionis subditas, si in eorum Visitatione reperitur. Barbosa de Episc. alleg. 32. numer. 152. Pellicionus Illustr. J. U. q. 6. cap. 1. pag. 35. & Bossius de Matrim. cap. 4. num. 54. At extra Visitationem non dispensat, nisi in casu appellacionis ad ejus Tribunal deductæ. cap. Pastoralis. De Offic. Ord. Sanchez d. lib. 3. disp. 28. num. 3. & Basilius Pontius d. lib. 5. cap. 10. num. 9. Quandoquidem Episcopus, ac ejus Vicarius non solum possunt dispensare, ne Denunciations fiant, sed etiam tenentur dictam dispensationem concedere, quando iusta causa urget, ut remittantur; ac si denegat eas dispensare, vel remittere, datur appellatio ad Metropolitanum, Sanchez d. lib. 3. disp. 10. à numer. 12. & segg. Aversa q. 7. §. 2. Sperellus decif. 111. num. 11. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. à num. 146. & segg. qui numer. 150. advertit, quòd si Sponsi sint diversarum Diocesium, poterit utriusque Sponsi Episcopus cum ambobus dispensare, ut omnia Denunciationibus conjugum ineant, quia in hac re contrahentes censentur unica persona, & ratione connexionis causæ uterque censetur alterius Prælo subiectus; & sic potest alteruter Episcopus utrumque Sponsum Matrimonialiter conjungere; ita poterit cum utroque in Denunciationibus dispensare, ut docent etiam Sanchez d. lib. 3. disp. 7. num. 5. Bonacina de Matrim. qu. 2. punct. 6. num. 7. Aversa d. quæst. 7. §. 2. Verf. Superior. verò. Barbosa allegat. 32. num. 35. & Bossius d. cap. 7. num. 39. Contrarium tamen tenet Basilius Pontius d. lib. 5. cap. 31. num. 9. & Diana Coordinatus tom. 2. tract. 6. resol. 66. detumpta ex veteri part. 3. tract. 4. resol. 238. quibus favet Praxis quotidiana, juxta quam spectat ad Prælatum loci, in quo celebratur conjugium, remittere Dispensationes prædictas quando subest iusta causa.

Quo ad Quintum: Juxta causam, ob quas Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis dispensare potest, ut omnia Denunciationibus Matrimonium celebretur, sunt sequentes, quas innuit DD. inferius citandi, videlicet: 1. Notabilis disparitas inter contrahentes, ut si vir sit nobilis, mulier ignobilis; hæc egea, ille dives; iste senex, illa juvenis; si vè Sponsus bonæ famæ, Sponsa autem Meretrix. 2. Si Sponsa sit in manibus Tutorum, qui ejus bonis inhiantes parùm curent de ea in Matrimonio collocanda; & timor sit, ut Matrimonium impediatur. 3. Si nullus sit timor Impedimenti, eo quia persona nota sint, & de earum totali libertate habeatur certa notitia. 4. Si contrahentes Magnates sint, scilicet conspicue nobilitatis, & excellentia, quia hi sciunt, an inter se impedimenta veniant, & quatenus aliquid esset, prius Apostolicam Dispensationem impetrant. 5. Si conjugium vellent inire concubinariis, qui crederentur ab omnibus obnoxiosos, & tunc ad parcendum eorum famæ. 6. Si sit imminens tempus, quo prohibentur Nuptiæ, & urget honestum motivum eas statim celebrandi, vel ob periculum fornicacionis, vel ob gubernium rerum domesticarum. 7. Si post contractum bona fide Ma-

trimonium, reperitur aliquid occultum impedimentum, cujus Dispensatione obtenta, necesse sit de novo Matrimonium contrahere. 8. Si de repente aliqua necessitas infurgat statim celebrandi conjugium, velut ad legitimandam prolem in concubinario longum iter facturo, vel si à Judice concubini processerint. 9. Quotiescumque agitur de animarum salute, præcipue de recedendis concubinariis ad bonam frugem. 10. Quando ex istis Denunciationibus Sponsi rationabiliter timeant sibi injustam molestiam, aut aliquid detrimentum inferendum. 11. Si periculum sit ob dilationem temporis, ut Sponsus mutet voluntatem cum præjudicio alterius, ut casu quo aliquis promississet ducere Meretricem in Uxorem ad eam ex pessimo illo statu liberandam. 12. Si agatur de scandalis evitandis, vel aliquam factionem, quæ cessaret statim sequito Matrimonio; ut frequenter in praxi videmus accidere, potissimum ubi agitur de puella nobili, defuncto Patre, in manibus Commissariarum exilente, qui suis passionibus magis, quam bono puellæ satisfacere student. 13. Si quis esset in mortis articulo constitutus, & vellet desponsare concubinam tùm ad salutem animæ suæ, tùm ad legitimacionem prolis consulendam. 14. Si Sponsus Sponsam desponsasset, & ex dilatione temporis in faciendis Denunciationibus aliquid grave periculum immineret. 15. Si probabilis suspicio habeatur, ut ab aliquo Matrimonio multissimo, ac injustè impeditur; etiam si parentes Sponsorum eos sint impedituri, legitima absque causa, ac præcipue si Sponsa annus 25. excedat. Supradictas omnes causas proponunt, & tanquam iustas pro Denunciationibus remittendis considerant Sanchez d. lib. 3. disp. 8. §. 10. Genuensis in Praxi cap. 20. Sperellus decif. 109. Aversa quæst. 7. §. 2. Bossius de Matrim. Controv. cap. 7. num. 80. Bonacina de Matrim. qu. 2. punct. 6. Basilius Pontius lib. 5. cap. 32. Vinc. de Justis, alios innumeris Theologos, ac Canonistas allegans, d. lib. 2. cap. 19. à num. 158. usque ad num. 190. atque Emin. Card. de Lauræa d. disp. 22. art. 18. per totum.

Ceterùm illud est annotandum, quòd antequam Ordinarius super hujusmodi Denunciationibus dispenseret, debet se diligenter informare super legitima, ac iusta causa dispensandi; ac super libertate Sponsorum, & quòd inter eos nullum extet impedimentum; talisque informatio sumitur per examen saltem duorum testium, ut semper præcassè scribit Sperellus d. decif. 109. num. 49. & ego quoque semper observavi, dum Vicarius Generalis esset in hoc amplissimo Episcopatu Patavino, & mos est apud omnes Curias Episcopales, quarum Ministri non mediocre lucrum consequuntur ex perenni, has ob causas, testium examine; ut notat etiam Vinc. de Justis in cit. lib. 2. cap. 19. num. 136. subdens num. 139. ex doctrina Sanchezii lib. 3. disp. 8. num. 6. quòd hujusmodi Denunciationum dispensatio non est actus Jurisdictionis contentiosæ, sed voluntariæ, & ideo potest fieri ab Ordinario etiam extra fuam Diocesim; quam doctrinam ego amplexus, decem jam ab hinc circiter annis, cum esset Venetus pro libris Emin. ac Reverendiss. Domini mei Cardinalis Gregorii Barbadii Episcopi Patavini, & ibi apparitorum Dux, vulgò ille Missar grande, vellet nuptias inire cum muliere Paduana, & à me tanquam Vicario peteret Denunciationum dispensationem, testes duos super libertate contrahentium, ac iusta causa dictum conjugium non publicandi, examinavi, & prædictum Ducem obrium habebam, sic coram me profundè se inclinaret, ut adstantibus admirationem, ac mihi ruborem in faciem impingeret.

Quo ad Ultimum, in quo requiruntur conditiones, M 4 sub

sub quibus Papa dispensat super Impedimento Matrimonii ignorato ob non factas Denunciations? Sciendum est, quod licet validum sit Matrimonium contra dictas Denunciations, nihilominus sic contrahentes, quamvis cum bona fide, subiecti remanent penis, ac censuris à Tridentino Concilio contra clandestinam conjugia inuentis inflictis, ut notat Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. n. 125. & casu quo prædictum Matrimonium invalidum reperiretur ob aliquod occultum impedimentum, tempore contractus eius ignoratum, & deinde manifestatum; adeo ut necesse sit recurrere ad Apostolicam Sedem pro dispensatione super ipso Impedimento; in primis, & ante omnia oportet exprimere Pontifici, an Denunciations fuerint omiffæ, seu de licentia Ordinarii remiffæ: alioquin si hæc circumstantia taceatur, dispensatio inde concessa sit prorsus nulla, ac nullus valoris. Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. num. 126. & 239. ubi subdit, quod Pontifex solet se difficilem reddere ad dispensandum super clandestino Matrimonio, & si forte dispensat, adijcit sequentes conditiones à Delegato servandas; videlicet: 1. Quod Oratores absolvat à censuris ad effectum gratiam consequendi. 2. Quod gravem utriusque Oratori imponat Penitentiam salutarem. 3. Quod Oratores iurent, in celum non commiffisse sub ipse facilius obtinendi dispensationem. 4. Quod quatenus causa contra ipsos, quoquo modo, in iudicium deducta fuerit, parent iudicatio. 5. Quod Oratorum alter alteri supervivens perpetuo, absque spe conjugii remaneat. 6. Et si Parochus fuisset in culpa circa omiffas Denunciations, addit Papa, Et puniatur Parochus ad arbitrium Ordinarii; præcipue pena triennalis suspensionis à Divinis iuxta cap. fin. De clandestinis despon. cui per Trident. Concil. d. cap. 1. sess. 24. de Matrim. non est derogatum, ut notat idem Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. num. 241.

DECISIO XXXV.

ARGUMENTUM.

De necessaria præsentia proprii Parochi, ac duorum saltem Testium agitur in hac Decisione pro Matrimonii validitate. Explicatur Quis sit proprius Parochus? Et qui alii veniant ejus appellatione? Utrum Abbates, & Archipresbyteri habentes Parochiales unitas, ac de Mensa, possint in eis tamquam Parochi assistere Matrimonii? Delegatio alterius Sacerdotis, Cui, à Quo, & Quomodo sit facienda? Requiritur tria, ut contrahentes Matrimonium dicantur esse de illa Parochia? Quibus in locis, & à quibus Personis servandum sit Decretum Tridentini Concilii de præsentia Parochi, & testium. Circa omnia prædicta referuntur Casus recentes, ac curiosi resoluti tum S. Congregationis Concilii Declarationibus, tum Decisionibus S. Rotæ Romanæ.

SUMMARIUM.

1. Conc. Trident. Decretum de præsentia Parochi, & testium.
2. Parochi præsentia, ac testium in Matrimonio est de forma.
3. Parochus quis dicitur? An censuris irretitus?
4. Parochus non Sacerdos, aut invidus an validè assistat Matrimonio?
5. Prioris S. Leonardi de Padua insultus Matrimonialis.
6. Parochus an validè assistat Matrimonio per Interpretem?

7. Episcopi, Vicarius Generalis, ac alii, qui veniunt nomine Parochi?
8. Vicarius Foraneus an validè assistat Matrimonio; & an Metropolitanus?
9. Abbas S. Justine de Padua an possit assistere Matrimonio in Ecclesiâ unitis suo Monasterio?
10. Unionis beneficiorum genera duo.
11. Archipresbyter Patavinus an possit autorizare Matrimonia in Ecclesiâ S. Bartholomæi de Farra? & in Ecclesiâ Cathedrali?
12. Sacerdos quilibet deputatus à Parocho, vel ab Episcopo validè assistit Matrimonio.
13. Requisita tria, ut quis dicatur esse de Parochia.
14. Habitatio in Parochia debet esse vera, & cum animo in ea habitandi.
15. Puella educata in Monasterio debet nubere coram Parocho domicili patrum.
16. Litis inter Parochos S. Laurentii, & S. Jacobi pro Matrimonio Melioris Zanone.
17. Prætores, Judices, Medici, & alii, validè nubunt coram Parocho loci, in quo tamquam tales habitant.
18. Fraudulenta habitatio ad contrahendum Matrimonium facit ipsum nullum.
19. Domicilia duo equalia habens potest contrahere Matrimonium coram utroque Parocho.
20. Testes qui possint esse in contractu Matrimonii?
21. Qui esse non valeant?
22. Publicatum ubi non est Concil. Trid. præsentia Parochi non est de essentia.
23. Hæreticorum in Urbibus Matrimonia sine Parocho valida sunt.
24. Transfertes de loco ubi publicatum est Concilium Trid. ad loca, in quibus non est publicatum, an ibi validè nubant sine Parocho?
25. Latinorum Matrimonia facta coram Sacerdote Græco an valida?
26. Mulier Græca an validè nubat Viro Latino, mox Græco?
27. Matrimonium initum coram Parocho Græco Schismatico an sit validum?

Alterum remedium, à Tridentino Concilio inductum pro tollendis Matrimoniiis clandestinis, fuit, ut ea validè celebrari non possent, nisi coram proprio Parocho, & duobus, vel tribus testibus; idcirco in sess. 24. de Matrim. cap. 1. ita sancivit: Qui alter, quam præsentem Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad se contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsentis Decreto irritos facit, & annullat. Igitur ex hac Conciliari sanctione Tridentina provenit decimum quartum Impedimentum dirimens Matrimonia, quod denotatur per illa Verba in carminibus de Impedimentis dirimentibus posita: Si Parochi desit, aut desit præsentia testis. Pro intelligentia hujus Impedimenti, quod famosum est, & ob malignitatem hominum in praxi frequentissimum, quatuor veniunt examinanda.

1. Qui veniant, appellatione Parochi,
2. Quæ requirantur, ut quis dicatur contrahere Matrimonium coram suo Parocho?
3. Qui possint esse testes, & quæ qualitates in illis desiderentur, pro validitate Matrimonii?
4. Quo in loco servandum sit prædictum Decretum Tridentini Concilii de contrahendo Matrimonio coram Parocho, & duobus testibus?

Quo ad Primum: Cùm nemo Catholicus refragetur, Matrimonia, nisi coram Parocho, & duobus saltem testibus, validè iniri non posse, etsi coram mille testibus illa celebrarentur; quia præsentia Pa-

rochi cum duobus testibus est de forma, nec potest per æquipollens suppleri, ex traditis per Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. glossa 48. num. 30. & per Vinc. de Iustis de Dispensat. Matrim. lib. 2. cap. 19. num. 95. & 96. hinc in primis querendum venit, quæ, & quot personæ veniant appellatione Parochi? Cui questio respondetur, in hac hypothesi contrahendi validè Matrimonium coram Parocho, multas personas significari. Primo: Significatur Parochus ipse, scilicet ille Sacerdos, qui à superioribus deputatus est certo numero personarum, ut eis Sacrum Divini Verbi, ac Sacramentorum pabulum ex officio displicatum deputatus, quocumque nomine vocetur, nempe Plebanus, Archipresbyter, Rector, Curatus, Capellanus, aut alio consimili juxta morem regionis, prout latè disserit Barbosa de Parocho part. 1. cap. 1. à num. 2. & seqq. Et qui deputatus est ad curam animarum, & eorum factus est Parochus, validè assistit Matrimonii omnium Parochianorum, sub ipsius Parochia habitantium, quamvis sit irregularis, suspensus à Divinis, excommunicatus, publicè denunciatus, dummodo actualiter à beneficio non sit depositus, & dimissio actualiter à beneficio non sit apud Paganum in cap. Quod à Prædecessore, num. 81. de Schismaticis, tom. 6. excepto tamen si Paganus factus esset hæreticus. Eadem Sacra Congregatio, num. 38. de Hæretic. d. tom. 6. Item validè Parochus non fuerit promotus ad Sacerdotium intra annum, vel alius incompatibile beneficium assequutus sit, dummodo adhuc primi possessionem retineat, ut latè probant Sanchez de Matrim. lib. 3. disp. 21. & disp. 22. Bonacina quest. 2. punct. 8. Barbosa de Episc. allegat. 32. à numero 110. & alii plures, quos citat, & sequitur d. Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. à num. 66. & seqq. quia ejus præsentia non est adus Jurisdictionis, sed solius testificationis. Imò subdit num. 69. quod ipse Parochus validè assistit Matrimonio, quamvis adhuc non sit Sacerdos, ut docent pariter Basiliius Pontius de Matrim. lib. 5. cap. 17. numer. 1. & Averfa quest. 6. sect. 3. & quod magis est, etiam si Sponsi contraherent Matrimonium coram Parocho invito, reluctante, aufugiente, aut eos increpante; ut probat Hieronymus Palma consil. 87. num. 56. & conflat ex sequenti declaratione Sacre Congregationis Concilii Anno 1669. emanata in consimili Matrimonio inito coram Rev. Petro de Angelis Priore Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi hujus Patavinae Civitatis, videlicet: Patavina Matrimonii. Alias de Anno 1661. die 25. Oobris, circa median horam noctis Priori Parochialis Ecclesiæ S. Leonardi Civitatis Patavinae redeuntis domum, ante illius ingressum, occurrerunt Franciscus Gambarà Venetus in dicta Civitate Patavina tunc degens; & Maria Honesti ex eadem Parochia S. Leonardi, & coram duobus testibus, ad infrascriptum effectum habebitis, dictus Franciscus in nuptus Parocho dilectam Mariam, pronuntiavit hæc verba: Vedete quæta è mia Moglie. Quo audito Parochus cepit indignatus eos increpare, ac redarguere, & terga vertens non auscultavit, ut ipse asserit, eandem Mariam, quæ suum expressit consensum his verbis: Questo è mio Marito, loquens de dicto Francisco: vel: Signor sì, che il Signor Gambarà deve essere mio Marito: ut respectivo idem testes deponunt. Queritur, an conflat de validitate Matrimonii, ita ut præferatur contractus?

Die 11. Maii 1669. Sacra Congregatio Eminentissimum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum respondit: Conflare de validitate.

A. Card. Celsus Præfatus.

Loco & Sigilli.

S. Brancarius Arch. Andrianopol. Secret.

Sed utrùm validum sit Matrimonium initum coram Parocho non intelligente Sponsorum idioma, nisi per interpretem illud sibi declarantem? Negat Pontius d. lib. 5. cap. 21. numer. 10. Affirmat Sanchez d. lib. 3. disp. 39. num. 3. & alii; quos allegat Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. num. 107. quibus ipse quoque inclinat; sed ego arbitror opinionem Pontii saniorè, ac veriorem, quia Ecclesiæ vult, Parochum esse præsentem tamquam testem certum, & infallibilem consensus Sponsorum; at talis esse non potest, si eorum idioma non intelligat, & de facile ab interprete falli, ac decipi valeat; unde tota fides esset apud interpretem, qui est persona privata, non autem apud Parochum, personam Publicam, ab Ecclesiâ, pro certitudine veritatis, specialiter electam.

Secundo: appellatione Parochi, pro valido conjugii contractu coram ipsis faciendo, veniunt omnes sequentes, videlicet Episcopus, ejusque Vicarius Generalis, Rota coram Emin. Othobono (qui fuit Papa Alex. VIII.) Decif. 251. à num. 32. & seqq. Item Legatus, seu Nuncius Sedis Apostolicæ in Provincia sibi assignata, Cardinales in Ecclesiis eorum Titulorum, Capitulum Sede Vacante, ac omnes Abbates, & Prælati inferiores Jurisdictionem Episcopalem, vel quasi cum populo, ac territorio separato sibi subiecto, habentes, ac exercentes; hi enim omnes tamquam Ordinarii, & eorum Vicarii Generales, possunt validè Matrimonii suorum fidei-ditorum assistere, quamvis nondum essent Sacerdotali Ordine insigniti; ut latè demonstrant Sanchez d. lib. 3. disp. 28. & disp. 29. Basiliius Pontius d. lib. 5. cap. 11. Averfa d. g. 6. sect. 3. Bossius de Matrim. cap. 4. à num. 55. Gratianus discept. forens. cap. 212. & alii citatis Vinc. de Iust. d. lib. 2. cap. 19. num. 75. ubi nominat etiam Summum Pontificem, qui in toto Orbe terrarum assistere potest vel per se, vel per suos Delegatos Matrimonii omnium Christi fidelium, quia totus Mundus est ejus Parochia, & ipse est Pastor universalis, & Parochus omnium fidelium. S. Thomas Opuscul. 19. Contra impugn. Relig. cap. 4. & Murga de Parocho part. 3. q. 2. num. 9. & 10. nec non quest. 6. num. 1.

Porrò appellatione Parochi ad effectum assistendi validè Matrimonio non venit Vicarius Foraneus Episcopi, quia hic non comprehenditur sub nomine Ordinarii, nec facit unum & idem Tribunal cum Episcopo. Sanchez d. lib. 3. disp. 29. num. 20. Basiliius Pontius d. lib. 5. cap. 11. num. 22. Vinc. de Iustis d. lib. 2. cap. 19. num. 78. Neque Parochi appellatione venit Archiepiscopus, seu Metropolitanus in Matrimoniiis eorum, qui sunt subditi Episcopis suffraganeis; nisi ad eum recurrerint, per appellationem ex aliqua legitima causa; vel nisi esset in actuali Visitatione Diecepsus suffraganeorum; tunc enim censetur Ordinarius, & potest assistere Matrimonii, & alios delegare Sacerdotes, qui validè assistant. Barbosa de Episc. alleg. 32. num. 125. Bossius de Matrim. cap. 4. num. 54. Vinc. de Iustis d. cap. 19. à numero 81. & seqq.

Sed numquid Abbates Monasteriorum, aut Archipresbyteri Capitulorum, habentes Parochiales Ecclesias sibi unitas, incorporatas, ac de mensa, in quibus deputant Parochum cum approbatione Episcopi ad regimen animarum in iidem Parochialibus, poterint ipsi validè assistere Matrimonii Parochianorum habitantium sub prædictis Parochialibus Ecclesiis unitis, ac eorum mensis incorporatis? Questio hæc est satis difficilis, ac perplexa, circa quam olim valde infundandum fuit in hoc Episcopatu Patavino, gliscentibus discordiis Jurisdictionibus inter Emin. Gregorium Cardinalem Barbadianum Episcopum super Ecclesiâ Parochiali S. Danielis cum Abbate Monasterii S. Justine; & super Ecclesiâ S. Bartholomæi de Farra cum Archipresbytero, & Ca-

9 & Capitulo hujus Ecclesie Cathedralis; praten-
dentibus in utriusque Ecclesie Abbate, ac Archi-
presbytero respectivè, tamquam sibi pleno Jure
unitis, assistentiam Matrimonii sibi esse licitam;
ac facultatem competere, deputandi alios Sacerdo-
tes, qui validè solum Matrimonii assisterent, non
requisito, inò invito Eminentissimo Episcopo.
Contra eòdem Archipresbyterum, & Abbatem
Curia Episcopalis opponatur; eos non habere exer-
citiùm curæ animarum, quòd soli Curato, per eos
electo, ac per Episcopum approbato, est concessum.
Turricelles de *Unive cap. 4. numer. 45. & ibi Rota*
coram Card. Seraphino Decif. 1009. n. 5. & part. 4.
rec. Decif. 448. num. 12. tom. 2. Ergo neque Archi-
presbyter Patavinus in Ecclesia Farræ; neque Ab-
bas S. Justine in Ecclesia S. Danielis, aut aliarum
tuò Monasterio unitarum, possunt Matrimonii vali-
de assistere. E. contra Abbas, & Archipresbyter
allegabant pro fe Tamburin. de Jure Abbat. tom. 2.
disp. 8. q. 1. num. 3. & Murgam de Parocho part. 3.
quest. 6. numer. 13. nec non part. 4. quest. 1. scilicet 3.
concl. 4. afferentes hanc facultatem assistendi Matri-
monii, in Ecclesiis sibi unitis, ac de Mensa solum
competere, ac ratione, quia vigore Unionis
Abbas, & Archipresbyter sunt veri Rectores, ac
Parochi, & in eis possunt Sacramenta populis subje-
ctis ministrare, prout facit eorum Vicarius, ac
Curatus per eos deputatus ad tradita per Rotam in
Pamplonen. Parochialis de Stella 28. Februarii 1600.
impresam post Murgam de Parocho Decif. 14.
Ergo in hac alteratione, non acribus prariens
Eminentissimi Cardinalis Episcopi (ut alii ex ejus
Ministris faciebant) sed veritati, ac justitiæ inhæ-
rens (etsi non desinens malignantes in delictum
hanc meam rectam intentionem vertentes) dice-
bam, dari duplex genus Unionis, ut habetur apud
10 Rotam Decif. 758. num. 1. & seqq. part. 1. divers. &
docet Pignatellus tom. 1. consult. 136. num. 15. Unum
est, quod complectitur Jura tam spiritalia, quam
temporalia: Aliud quod temporalia tantum. In
primo unionis genere Monasterium, seu Capitulum
constituitur versus Rectorem, ac Parochus Ecclesie uni-
tæ, & sic Abbas, seu Archipresbyter possunt exer-
cere curam animarum in illa, prout faciunt alii Pa-
rochi, ac Rectores ad tradita per Rotam part. 15.
rec. Decif. 49. numer. 33. & cum talis sit Unio Ec-
clesie S. Danielis, ac aliarum Ecclesiarum, anti-
quissimi pleno Jure incorporatarum Mensæ Mo-
nasterii S. Justine de Padua, ejus Abbas habet
legitimam potestatem autorizandi cum sua præ-
sentiâ Parochianorum earundem Ecclesiarum Matri-
monia.

Sed aliter contingere dicebam in Ecclesia S. Bar-
tholomæi de Farræ; quæ fuit unita Canipæ Ec-
clesie Cathedralis Paduæ ab Eugenio Papa IV. An-
no 1439. tantummodo quo ad temporalia, idest, ut
fructus illius Ecclesie, deservirent pro augmento
11 quotidianarum distributionum, quibus potuerunt in-
teressentes in Choro in eadem Cathedrali; idcirco
vigore prædictæ Unionis Capitulum Paduanum ha-
bet, ultra fructus temporales illius Ecclesie, solum
nominationem, ac præsentationem unius Sacerdo-
tis, qui, prævia approbatione Episcopi, ab eodem
recipit autoritatem administrandi Sacramenta popu-
lo degenti in Villa Farræ, & illarum animarum cu-
ram exercendi; undè perperam egerat Dominus Ar-
chipresbyter assistendo, vel facultatem dando Sacer-
dori, per Episcopum non approbato, assistendi Ma-
rimonii Parochianorum Villæ Farræ, quæ ab
Eminentissimo Cardinali Episcopo fuerunt declara-
ta irrita; & ex ejus mandato renovata coram alio
Sacerdote ad hunc effectum per Curiam Episcopa-
lem electo. Nec juvare poterat Dominum Archi-
presbyterum Patavinum, quòd ipse aliquando assi-
stet Matrimonii degentium sub cura sex Mansiona-

riorum ejusdem Ecclesie Cathedralis Paduæ; ut
constat ex libris, in quibus Matrimonii ipsius regi-
strantur. Nam respondebatur, quòd Archipresbyter
Patavinus ab origine illius Cathedralis est primus
ejus Parochus, & Rector; ipsi verò Mansionarii
instituti fuerunt in adiutorium ejusdem Domini Ar-
chipresbyteri; qui propterea, ut legitur in suis Bul-
lis, quando eligitur à Papa tamquam prima Digni-
tas, debet esse examinatus, & approbatus ad ani-
marum Curam exercendam, quæ eidem Archipre-
sbyteratui dicitur imminere: præterquam quòd assi-
stentiâ Matrimonii aliquando præstita per Archi-
presbyterum semper fuit de consensu Mansionario-
rum, sub quorum cura contrahentes erant; adeò
ut, quidquid scribat circa eòdem Mansionarios Ni-
colaus Noalis conf. 69. certum sit, eos esse Vica-
rios, ac Coadjutores Domini Archipresbyteri in
cura animarum, ac propterea posse Dominum Ar-
chipresbyterum, si aliquando velit, assistere tam-
quam principalem Rectorem Matrimonii degenti-
um sub eadem Cura Ecclesie Cathedralis.

Tertiò tandem appellatione Parochi, in cujus
præsentia validè iniri possunt Matrimonii, intelli-
gitur etiam omnis Sacerdos ab ipsemet proprio Pa-
rocho, vel ab Ordinario deputatus ad assistendum
Matrimonio, quamvis deputatio non fuerit facta in
scriptis, sed oratenus tantum. Bonacina de *Matrim.*
qu. 2. punct. 8. num. 10. Placius in Praxi Episc.
cap. 4. num. 32. Vinc. de Jussis d. lib. 3. cap. 19.
num. 46. & seqq. qui num. 60. subdit, eandem de-
putationem fieri posse etiam extra fines Parochie,
vel Diocesis, ut non est actus Jurisdictionis con-
tentivæ, sed voluntariæ; & nihil refert, si præ-
dictus Sacerdos esset secularis, vel regularis, aut
cenfuris irretitus, aut etiam degradatus; nam est
talis, Sacerdos est. Barbofa de Episc. alleg. 32.
num. 111. in fin. Bonacina d. punct. 8. num. 23. De-
bet tamen prædicta delegatio esse certa, & concessa
antececedenter ad ipsum Matrimonium; itaut non
sufficeret rati habitio. Pax Jordanus lib. 3. tit. 7.
num. 90. Basilius Pontius d. lib. 5. cap. 22. num. 8.
Barbofa de Parocho cap. 21. num. 75. Cardin. Man-
tica Decif. 311. numer. 6. Idem Vinc. de Jussis d.
cap. 19. a num. 86. & seqq. ultimus advertens, quòd
male ageret, & punibilis esset Sacerdos, qui assiste-
ret Matrimonio contrahentium, attentata eorum sola
assertione, quòd à Parocho, vel ab Ordinario ipse
esset deputatus; siquidem de ea constare debet per
legitimas probationes; quòd si verè, & realiter de-
putatio fit facta, & de ea constet, nihil interest, si
per dolum, aut mendacium obtemperasset, ut la-
tius differit ipse Vinc. de Jussis ibid. a num. 92. &
seqq. alios DD. citans, prout etiam, si Parochus,
qui deputavit, jam mortuus fuisset: nam gratia per
mortem concedentis non expirat, Jordan. d. lib. 3.
tit. 7. num. 92. Ut etiam si delegatio facta fuisset
generaliter, ut Sponsi coram quocumque Sacerdote
sibi benevolè possent conjugium inire, ut respondit
S. Congr. Concilii die 15. Junii 1589. ex doctrina
Card. Zabarellæ, & aliorum DD. in Clem. 1. de
Privileg. numer. 12.

Quo ad Secundum; in quo inquiritur *Quæ re-*
quirantur, ut quis dicatur contrahere Matrimonium
coram suo Parocho? Esti multa, ac varia de quæ-
sito isto scripta reperiantur à Theologis, & Cano-
nists, quæ ob frequentiam casuum, & inevitabi-
lem hominum malitiam potius confundunt, quam
instruant mentes Studentium, dicendum est, tria
esse requisita necessaria: Unum est, quòd contra-
hentes Matrimonium actualiter habitent sub Pa-
rochia illius Parochi, coram quo conjugium celebra-
re intendunt. Alterum est, quòd ex aliquo honesto
motivo intendant ibi habitare. Tertium, quòd
non se transferant ad habitandum in illa Pa-
rochia hac determinata intentione defraudandi pro-
prium

Parochum; & statim discedendi à facta ha-
bitatione, inito conjugio.
Primum requisitum est, ut contrahentes actualiter
habitent sub illa Parochia; tunc autem dicuntur
actualiter habitare, quando ibi se transferunt ani-
14 mo verè habitandi. Basilius Pontius *dist. lib. 5.*
cap. 13. §. 1. num. 4. Verticell. de Missionib. Episc.
cap. 1. num. 22. Menoch. lib. 6. Præsumpt. 42. Hinc
contrahentes recreationis causa fe contulerant, non
est validum, quia non dicuntur ibi habitare; &
chus ruris non est proprium habitationem, Paro-
chez dist. lib. 3. disp. 23. num. 9. Bonacina quest. 2.
punct. 8. num. 3. & Garzias de benef. part. 5. cap. 7.
num. 11. ubi sic respondit S. Congregatio. Simili-
ter, si puella ponatur à parentibus in aliquo Mona-
sterio Monialium, non censetur deserere domici-
15 lium patrum, sed in Parochia ejusdem domicili
habere suam habitationem; & idèo si nuptii tradat-
ur, ejus Matrimonium celebrandum est coram Pa-
rocho, sub cujus Parochia est domicilium ejus pa-
ternum, ex traditis per Pignatellum tom. 7. con-
sult. 63. num. 3. & seqq. Idcirco paucis ab hinc an-
nis cum D. Meliorina Zanona educata in Mona-
sterio Monialium S. Clare de Padua, cujus præde-
functus Pater domicilium habebat sub Parochia
S. Laurentii, nupsisset Domino Joanni Francisco de
Taconis degenti sub Parochia S. Agnetis, & Paro-
chus S. Jacobi impetrasset mandatum à Curia Epi-
scopali assistenti, prout assitit, prædicto Matrimo-
16 nio, afferens prædictam Meliorinam tamquam
orphanam nullibi habere proprium domicilium; or-
tata lite inter Parochum S. Laurentii, ac illum S. Ja-
cobi, dixi Matrimonium esse validum attentata de-
legatione specifica facta per Vicarium Generalem
de persona ejusdem Parochi S. Jacobi; sed illam
fuisse injustam, ac injuriosam Parocho S. Laurentii,
qui de Jure debebat assistere prædicto Matrimo-
17 nio; nam puella illa erat sua Parochiana, reti-
ens proprium domicilium paternum sub Parochia
S. Laurentii, quòd nimis mutaverat per educatio-
nen in Monasterio Monialium S. Clare, ut docet
Marcus de Probat. conclus. 535. num. 13. Meno-
chius de Arbit. Judic. casu 86. num. 7. & in ter-
minis de proprio Parocho pro contrahendo Matrimo-
18 nio Eminent. Cardin. de Luca in tract. de Paro-
chis disc. 23. num. 9. nec non in tract. de Matrimo-
disc. 1. num. 10. ac etiam in tract. de Previnent.
disc. 37. num. 6.

Alterum Requisitum est, ut qui solitum domici-
lium deserunt, & in alio loco, ac sub nova Pa-
rochia incipiunt habitare, id faciant ex aliquo honesto
motivo, & ibi per aliquod notabile tempus
habitaturi. Hinc concedunt omnes scribentes, quòd
si quis se transferat ad habitandum in aliqua Civitate
tamquam Prætor, aut Judex, aut Medicus, sive
ex alio laudabili motivo, prout faciunt Professores
Publici Scientiarum in hoc celeberrimo Gymnasio
Patavino, possunt absque scrupulo Matrimonium cele-
brare coram Parochis Patavinis, sub quorum Pa-
rochia habitationem elegerunt; ut decium fuisse à
S. Congregatione testatur Barbofa in *Collectan. DD.*
ad Concil. Triad. d. sess. 24. de Matrim. cap. 1. num. 10.
& Vinc. de Jussis d. lib. 2. cap. 19. num. 55.

Tertium Requisitum omnino necessarium est,
quòd contrahentes non se transferant ad habitan-
dum in illa Parochia hac determinata intentione
defraudandi proprium Parochum, & statim disce-
18 dendi à facta illa habitatione, inito conjugio; qui
enim hoc animo fraudulento alicubi transerunt, non
derelicto priori domicilio, non dicuntur esse de il-
la nova Parochia; in qua si conjugium celebrent,
nulliter, ac invalidè celebrant. Henriquez in *Sum-*

ma libr. 11. de Matrimo. cap. 3. num. 3. Navarrus
de *Paroch. conf. 2. numer. 3. Gutierrez de Matrimo.*
cap. 65. numer. 11. Comitulos Resp. Moral. q. 110.
num. 5. Rebullius de Obl. Jusf. part. 2. lib. 2. q. 8.
*num. 6. & in puncto Barbofa in *Votis Drosivis lib. 2.**
Vote 19. num. 8. ubi DD. cumulat, qui omnes con-
corder docent, quòd quando aliqui, retento priori
domicilio, alibi se transferant ad habitandum,
non animo ibi permanendi, sed fusa intentione
defraudandi proprium Parochum, & Matrimonium
celebrandi coram Parocho illius loci, ad quem va-
dunt, indè postea statim discessuri, hi nulliter, &
invalidè Matrimonium contrahunt, quia dicuntur
non coram proprio Parocho contrahere, & hanc
doctrinam in his propriis terminis pluries canoniz-
avit Rota Romana, sententiando pro nullitate,
& invaliditate Matrimoniorum cum dicta fraudulen-
ta intentione initorum; ut videre potest studiosus
Leclor in Decif. 498. numer. 17. part. 14. rec. nec
non in part. 15. Decif. 162. num. 17. prout etiam
in part. 17. Decif. 75. a numer. 13. & seqq. in quibus
aliæ Decisiones, & innumeri DD. sic firmantes al-
legantur.

Nec prædictis obstant duæ Declarationes S. Con-
gregationis Concilii relate à Fagnano in *cap. Signi-*
ficavit. numer. 36. & 37. de Parochis tom. 4. in quibus
declarata fuerunt valida duo Matrimonia; U-
nus Nobilis Senensis, qui cum meretricia Senis
disecessit, ut proprium Parochum evitaret, & ivit
Romam, ibique ipsam Meretricem in Uxorem dux-
xit: & alterum unius Scholaris externi, qui Patavii
moratus quinqve vel sex menses mulierem plebe-
jam coram Parocho Patavino desponsavit. Siqui-
dem responderet in utroque casu contrahentes non
habuisse animum statim discedendi post initum con-
jugium, tum Senensem ab alma Urbe, tum Scholarem
Patavio, præterquam quòd iste venerat ad
habitandum hic ex honesto motivo studiorum, &
Matrimonium contraxit coram proprio Parocho il-
lius plebejæ mulieris. Quare inconcussa est regula,
illum non esse proprium Parochum pro valido inen-
duo conjugio, sub cujus Parochia contrahentes fe
posuerunt, cum hac fraudulenta intentione, ibi
non habitandi, sed statim post contractum Matrimo-
19 nium discedendi; quòd novissimè scribitur etiam
Loterius de Re benefice. libr. 1. quest. 20. num. 52. &
Pignatellus tom. 5. consult. 79. num. 3. & num. 12.
ubi etiam affirmat, sic censuisse Sacram Congrega-
tionem, cujus Declarationes ipse vidit, & præcipue
*in Una *Polnjanensis Matrimonii die 22. Februarii,**
ac 14. Decembris 1652.

Illud autem non est omitendum, quòd si quis
haberet domiciliu in duabus Parochiis, & in eis
æqualiter habitaret, Verbi gratia, tempore hye-
mali in una, & æstivo in alia, ut olim facie-
bant hic Patavii Nobiles Patavini, ac Senatores
Veneti de Papafavis degentibus in hyeme in am-
plissima eorum domo sub Parochia S. Laurentii; in
æstate autem in delitioso Palatio S. Mariae in Vantio
sub Parochia S. Danielis, Matrimonium iniri vali-
de possent coram uno, vel altero ex dictis Parochis.
Sanchez d. lib. 3. *rota disp. 24. Bossius de Matrim.*
cap. 4. numer. 4. & 5. ac Vinc. de Jussis d. lib. 2.
cap. 19. num. 63. advertens, quòd dicta æqualis ha-
bitatio non est accipienda mathematicè, sed morali
modo, subdens num. 64. quòd si quis habitaret in
confinio duarum Ecclesiarum Parochialium, erit Pa-
rochianus illius Parochie, in qua domus habet ad-
itum magis frequentatum, seu portam principialio-
rem; ut differit etiam Barbofa de Episc. alleg. 32.
num. 71.

Quo ad Tertium; in quo petitur, *Qui possunt*
esse Testes, & quæ qualitates in illis deserviantur,
pro validitate Matrimonii? Respondetur ex commu-
ni sensu omnium Doctorum, omnes homines 20
ratio-

rationalis habentes posse esse testes in celebratione Matrimonii, sive ipsi sint Masculi, sive Feminae, sive Coniungunt, ac etiam Pater, & Mater contrahentium, sive eorum domestici, sive bonae, sive male famae, sive fideles, sive infideles, Religiosi seculares, aut claustrales, etiam Moniales, adulti, sive impuberes, dummodo sint rationis compotes, ac generaliter omnes, etsi aliam testificari incapaces. Sanchez d. lib. 3. disput. 41. num. 5. Bonacina d. q. 2. de Matrim. panth. 8. num. 43. Layman. lib. 5. tractat. 10. part. 2. cap. 4. num. 6. Pax Jordanus tom. 1. lib. 3. tit. 7. numer. 105. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 92. hanc reddens rationem, quia causa Matrimonii est favorabilis, & quia auctoritas Parochi supplet eorumdem Testium defectum. cap. Cum esset. 10. De Testam. et ultim. Volunt. Imò nihil obstat, si dicti testes dolo, vel ad aliud vocati sint, sive casu sint praesentes, nec fuerint rogati; aut si fuerint coacti, vel vi detenti, dummodo sentiant, ac intelligent contrahentium consensum, & ad id, quod agitur, advertant; ut bene demonstrat Sanchez d. lib. 3. disput. 39. a numer. 9. & seqq. Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. gloss. 48. num. 7. ubi refert, si fuisse decium à Sacra Congregatione; & Pax Jordanus d. lib. 3. tit. 7. à num. 106.

E contra testes non essent sufficientes, nec coram eis validum foret Matrimonium in initum. 1. Si essent ebrii, vel dormientes, vel essent infantes, & capere non possent, quid contrahentes agerent, vel dicerent. Ventriglia in Praxi Annot. 3. num. 5. Bossius de Matrim. cap. 5. num. 5. ea ratione, quia, ut ait Loterius lib. 2. q. 40. num. 81. non dicitur praesens, qui licet corpore locum occupet, mente tamen, & animo abest. 2. Si ipsi testes non essent simultanei cum ipso Parocho, sed post eius discessum vocarentur; siquidem testium praesentia non debet esse successiva, sed simultanea cum praesentia Parochi. Sanchez d. lib. 3. disp. 41. num. 3. Rubens in addit. ad Rotam part. 4. recent. decif. 431. à num. 22. & seqq. tom. 2. Barbosa in Not. Canon. lib. 1. Not. 14. num. 70. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 100. eam reddens rationem, quia praesentia Parochi, & Testium pro validitate Matrimonii est de forma; & per consequens debet utraque intervenire simul, ac eo tempore, quo actus in esse producitur. 3. Neque valeret testimonium, si Testes intervenire pariete intermedio, etsi notam haberent vocem contrahentium, quia in re tanti momenti non est fidentiam de vocum cognitione, quae deceptioni, ac fallacia est subiecta; ideoque est necesse, ut testes verè sint praesentes, videant, advertant, ac, sine periculo errandi, intelligant quidquid à contrahentibus profertur. Ventriglia d. Annot. 3. numer. 12. Molin. de Ritu Nupt. lib. 1. diff. 11. à num. 120. & Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 104. 4. Proinde qui caeci sunt, & lumine oculorum sunt orbat, non possunt esse testes in Matrimonio; adeo ut si coram ipsis celebreretur, censetur prorsus irritum, ac invalidum, quamvis notas habeant voces contrahentium, ut probat Mascardus conclus. 278. num. 7. Ventriglia d. Annot. 3. num. 14. Barbosa de Episc. allegat. 32. num. 87. Gratian. Discept. Forens. cap. 849. à num. 20. & Farinacius de Testib. quæst. 61. num. 7. ejurata circa hoc contraria opinione DD. quos citat Bossius de Matrim. cap. 3. numer. 23. 5. Tandem necesse est, ut ipsi Testes intelligant idioma contrahentium, ut diximus supra num. 6. de Parocho; nec sufficiat, si per interpretem sibi notificarentur eorum verba, ob periculum deceptionis, & fraudis, ut bene considerat Bassilius Pontius d. lib. 5. cap. 21. num. 10. & eadem si quis ex Sponsis vellet recedere à contractu, & subornaret Interpretem, ut diceret, se consensum in Matrimonium non praestitisse, sed de alia re fuisse locutum, quo-

modo Testes possent pro veritate consensus praestitit testificari?

Quo ad Quartum, & Ultimum, in quo investigatur, supradictum Decretum Concilii Tridentini, de contrahendo Matrimonio coram Parocho, & duobus testibus, Quo in loco sit servandum? Respondetur, servandum esse tantum in iis locis, in quibus ipsum Concilium esse publicatum juxta ejujdem dispositionem in cit. sess. 24. de Matrim. cap. 1. in fine, ubi sic dicit: Decernitur insuper, ut huiusmodi Decretum, in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die prime Publicationis, in eadem Parochia factae, numerandis. Idcirco ubi Concilium Tridentinum non est publicatum, valent Matrimonia more antiquo, etiam sine praesentia Parochi, ac testium celebrata, prout servari adhuc in quibusdam Galliae, ac Poloniae partibus, tradit Barbosa ex DD. per eum collectis ad d. sess. 24. cap. 1. num. 170. & Bassilius Pontius d. lib. 5. cap. 26. §. 2. Verf. 4. ubi reddat rationem dicens, hoc non nasci ex eo, quod Lex ad sui obligationem exigat, ut acceptetur à populo, sed ex speciali dispositione Ecclesiae in hoc casu, quae nolit legem hanc de praesentia Parochi, & Testium obligare, nisi post promulgationem in singulis Parochiis factam, ac elapsis à publicatione diebus triginta; & hoc idem prosequitur Vinc. de Justis d. lib. 2. cap. 19. num. 109. & 110. subdens, quod idem dicendum sit de locis, in quibus fuerat Decretum praedictum publicatum, sed deinde in dominio haereticorum transierunt; & ex eis expulsi sunt Catholici, vel ipsi interdicti liber usus Sacramentorum; nunc enim validè contrahunt Matrimonia sine praesentia Parochi, & Testium. Vericel. quæst. 145. num. 11. & 12. Aversa quæst. 6. sess. 2. Verf. Jam verò. Ru- beus in cit. Rotæ Decif. 431. num. 55. part. 4. recent. tom. 2. & fusc Gobatus trad. 9. à numer. 456. & seqq.

Porro, supradictio Conciliari Decreto attento, quatuor Dubia remanent examinanda, ac solvenda. Primum est, An Sponsi degentes in loco, ubi Concilium Tridentinum est publicatum, si se transferant ad locum, in quo dicta publicatio facta non sit, validè ineam Matrimonium inter se sine praesentia Parochi, ac Testium? Resolvitur Dubium 24 sub hac distinctione. Vel se conferant ad locum, in quo Concilium non est publicatum, ut ibi habitent? Et validè possunt nubere sine Parocho, & testibus. Vel ibi vadunt, animo fraudandi proprium Parochum, & sine eo contrahendi; vel ibi perveniunt tamquam hospites, & peregrini, habitationem firmam non constituentes? Et in hoc pariter casu nullum, & irritum est eorum Matrimonium, si illud sine proprii Parochi, ac Testium praesentia ineam, ut respondit S. Congregatio in Coloniae. 5. Septembris 1626. & in Anversien. 9. Decembris 1628. de quibus Barbosa de Parocho cap. 21. num. 93. & Emin. Card. de Lugo in Responsis Moralibus lib. 1. Dub. 26. ubi ponit Breve Pontificum Urbani Papæ VIII. diei 14. Augusti 1627. confirmans praefatas Cardinalitatis Declarationes: Earum vigore cum N. N. Nobilis Comes Patavinus, Dux unius ehortis exercitus Austriaci in obsidione Budæ, Anno 1687. duxisset in Uxorem in eodem loco, sine Parocho, & sine Testibus, quamdam mulierem, cujus vehementi amore exarserat, & postea eum penitisset, & requireret, an illud Matrimonium fuisset validum? Respondit negativè; quia utrique amantes ibi erant hospites, & advenæ, & cum haberent domicilium Viennæ, in qua Concilium Tridentinum est publicatum, non poterant validè Matrimonium simul inire absque praesentia proprii Parochi, vel alicujus Sacerdotis ab eo delegati, ac Testium; juxta supradictas Sacrae Congregationis Declarationes, quas esse omninò attendendas, ex-

ploris

Præter quatuordecim Impedimenta, Matrimonium dirimentia, omnibus nota, ostenditur, duo alia reperiri: Unum in Ecclesia Latina, quod est Interdictum Judicis cum Decreto irritante ob aliquam urgentem causam, qualis est desolatio Sponsæ: Aliud in Ecclesia Græca, si conjugium quarta vice incurrat. Canones, Rationes, ac Doctores allegantur circa facultatem Judicis prohibendi Matrimonium sub pœna nullitatis ante expeditionem litis. Jura contraria resolvuntur, & Doctores circa hoc discrepantes concordantur.

SUMMARIUM.

- 1 Impedimentum dirimens Interdictum Judicis.
- 2 Cap. Tua Fratemitas. De Sponsa duor. dispositio.
- 3 Interdictum Judicis reddit Matrimonium illicitum, non invalidum. & num. 4. & num. 7. ubi DD. & num. 24.
- 5 Inferiores Prelati non faciunt Impedimenta dirimentia.
- 6 Jure non potest Sacramenta irrita reddere.
- 8 Interdictum Judicis irritat Matrimonium. & numer. 9. & 10.
- 11 Legis secundum dispositionem est judicandum.
- 12 Amodo dictio quid significet?
- 13 Interdicti Impedimentum dirimens est ab Ecclesia approbatum.
- 14 Attentata contra Decretum Judicis sunt retrahenda.
- 15 Interdictum Judicis irritare Matrimonium, qui DD. dixerint?
- 16 Interdictum Judicis sine clausula irritante non irritat Matrimonium.
- 17 Jure est Minister, ac Executor Legis.
- 18 Contractus Matrimonii si irritetur, etiam Sacramentum est nullum.
- 19 Christus an indixerit Impedimenta Matrimonii?
- 20 Concordantia DD. circa Judicis Interdictum dirimens Matrimonium.
- 21 Causam ob urgentem Jure prohibere potest Matrimonium sub pœna nullitatis. Secus si non adest causa urgens. Et quæ sit?
- 22 Desolatio Sponsæ est causa interdicendi Matrimonium sub pœna nullitatis cum alia.
- 23 Causa perpetua interdicendi Matrimonium est Sponsæ desolatio.
- 24 Cessante causa cessat effectus.
- 25 Græci non admittunt Matrimonium quarta vice.
- 26 Abbas Papadopoli laudatus.

Explicitis hucusque Impedimentis quatuordecim dirimentibus Matrimonium, de quibus commemorat omnes Scholastici, ac Moraliste agunt, restat inquirendum, an ultra praedicta reperitur aliquod aliud Impedimentum dirimens? Et respondendum videtur, alia duo reperiri, unum in Ecclesia Latina, quod vocatur Interdictum Judicis sub pœna nullitatis; Aliud in Ecclesia Græca, quod dicitur, in quarto Voto contractum Matrimonium.

Quo ad Primum, praemittere oportet, quod Alexander Papa III. consultus ab Archiepiscopo Genuesi, quid agendum de illis, qui litigantes in causis Matrimonialibus super executione Sponsalium, & interposita appellatione, non expectata sententia definitiva, contrahat de facto Matrimonium per verba de praesenti cum alia persona, in praedictum casu

ploris contrariis DD. aliquorum opinionibus, advertunt Tamburinus de Triplici Jure lib. 8. tractat. 6. cap. 2. §. 2. num. 16. Cotonius lib. 5. Controv. 1. numer. 265. Gobatus d. trad. 9. n. 481. 521. & 536. atque Emin. Card. de Lauræa de Matrim. disp. 22. num. 138.

Secundum Dubium est, Utrum Mulier Latina possit validè nubere Viro Latino coram Sacerdote Græco non Parocho in loco, in quo Græci habitant, & absque praesentia Parochi, & testium faciunt conjugia? Respondetur negativè, si in eo loco publicatum sit Concilium Tridentinum, juxta doctrinam Pignatelli tom. 1. consulti. 150. num. 57. ubi testatur, sub Pontificatu Gregorii Papæ XIII. ad instantiam Episcopi Zaren. Sacram Congregationem Concilii respondisse, Matrimonia à Græcis contracta in Provincia Zaren. non servata forma Concilii Tridentini, nulla, & irrita fuisse; & mandasse moneri conjuges, ut iterum contraherent coram Parocho, & Testibus. Quæ doctrina attentata, cum Anno 1687, quidam miles latinus in Insula Zacynthi duxisset in Uxorem quamdam mulierem coram Sacerdote Græco non Parocho, & post militis discessum mulier illa Corcyram reverfa, delata fama de morte militis, nupisset alii viro coram Parocho, & Testibus, ac non multo post, prior Vir miles ibi appulisset, & peteret sibi assignari mulierem illam tantquam Uxorem suam; causa introducta coram Archiepiscopo Corcyren. (qui tunc erat Illustrissimus Dominus Marcus Antonius Barbadiacus, nunc S. R. E. Cardinalis meritisissimus) ego, ab eo consultus, respondi, secundum Matrimonium illius mulieris esse validum; primum verò fuisse nullum, irritum, & inane ex defectu praesentiae proprii Parochi, ac testium, sine qua praedictus miles contraxerat Zacynthi; in qua Insula, subiecta Serenissimo Domino Veneto, Concilium Tridentinum erat publicatum; & ad ejus observantiam obligati erant etiam Græci ex traditis per Tamburinum d. lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 2. n. 12. & Bossium de Matrim. cap. 1. n. 62.

Tertium dubium est, quid dicendum, si Mulier Græca nubat Viro Latino; vel e contra si Vir Græcus ducat in Uxorem mulierem Latinam; an sit necessaria praesentia proprii Parochi, ac testium pro validitate conjugii, si sint in loco, in quo Concilium Tridentinum fuit publicatum? Respondetur, praedictam praesentiam Parochi, ac testium esse necessariam pro validitate Matrimonii eorumdem; & hoc attentata Instructione ad Græcos Clementis Papæ VIII. apud Quarantam Verbo Græcorum Ritus. pag. mibi 347. in qua prohibetur Marito Latino sequi in Matrimonio ritum Uxoris Græca; & Uxori Latinae sequi Ritum mariti Græci; & hoc idem respondisse Sacram Congregationem ad Episcopum Trajansen. die 20. Februarii 1590. notat Nicolius in Florenti Verbo. Græci. num. 7.

Quartum tandem Dubium est, An validum sit Matrimonium contractum inter Catholicos, sed coram Parocho Græco Schismatico, & more Schismatico, praesentibus dumtaxat Musicis canentibus in honorem Matrimonii, more suo, non autem Testibus particulariter rogatis? Respondet esse validum Pignatelli tom. 7. consulti. 62. quia quoad Parochum Schismaticum, donec iste non fuerit privatus officio, validè assistit ex Sanchez d. lib. 3. disp. 21. & Bassilio Pontio d. lib. 5. cap. 17. §. 1. Unum. 6. quo verò ad Musicos, dummodo advertant ad contractum, sunt res sufficientes; & possunt semper testificari de consensu praestito à contrahentibus. Sanchez d. lib. 3. disp. 39. n. 11. nec opus est absolutè, ut sint rogati. Idem Sanchez cod. lib. 3. disp. 41. n. 7. & diximus supra num. 20.